

GALLIAE NAR BONENSIS ORA MARITIMA.

HVIVS Tractus loca celebriora describit Gulielmus Paradinus his verbis; Arela-
tem Sextanorum Coloniam fuisse tradunt scriptores. Ea Ciuitas ad Rhodanum
vndique septa est paludibus: in quibus hodie præferoce aluntur boues. Olim no-
bile Emporium fuisse, Strabo auctor est his verbis; Narbo (inquit) amplissimum
eius Regionis supra exitum Ataxis fluminis, Narbonensemque lacum, iacet: Rho-
dano autem Oppidum, Emporiumque non paruum Arelate. Arelatæ vicinæ sunt
aquæ calidæ, apud quas Sextius, vt idem Strabo ait, oppidum sui nominis ædifica-
uit, vocavitque hoc Aquas Sextias. Condendi Oppidi consilium fuit, vt illic Roma-
num collocaret præsidium. Illic cæsos fuisse Cymbros à Mario, scribit D. Hierony-
mus. Arausio (hodie Orange) Cabilonensium Imperio olim insignis; in qua The-
atri ingentis ruinas, & stupendi operis murum quadrato assabre lapide vidimus, &
cui haud scio an Gallia vniuersa similem habeat. Est & ad Portam, qua Lugdunum
spectat, Arcus triumphalis, cum insculpta Equestri pugna, quam diu magna volu-
ptate spectauimus. Huc & Nemausum pertinet, Amphitheatro antiqui operis vi-
sendum (Arenas vocant) mirum illic ostendi subterraneum meatum, qui per trans-
uersum Rhodanum sub ipso alueo ductus, in procul dissitam perueniat ciuitatem.
Est & Basilica Plotinæ, quam Hadrianus Imp. ex ædificauit, Auctore Spartiano. &c.
Hæc ex Paradino. Sed accuratissimè descriptis hanc Vrbem, iconibusque eius anti-
quitates ob oculos ponens Ioannes Poldo Albenas; idemque locorum vicinorum
situm, & antiquas appellationes diligentissimè perquirit. De hoc vide quoque apud
Strabonem lib. 4. Vide etiam Guntherum Ligurinum Poëtam. Huius Ta-
bulæ archetypum sua manu descriptum nobis commu-
nicauit D. Carolus Clusius amicus noster.

BVRGVNDIAE COMITATVS.

BVRGVNDIA duplex, altera Inferior, quæ & Regia vocatur; hæc Ducatus
nomine gaudet, olim Heduorum Regio: Altera Superior, quæ Imperatoria voca-
tur (Marliano teste) & Comitatus nomine censemur; hanc olim habuerant Sequa-
ni: Eam hæc Tabula continet. Cuius Regionis fertilitatem haud facile quis dixerit,
ita enim in omni frugum genere fœcunda est, vt semper vilissimo precio frumenta,
vina, olea, ibidem veneant: carnibus & omnibus denique ad vietum necessariis su-
perabundat; ita, vt altera Italia, situ, aëris amoenitate, & salubritate, videatur. Homi-
num proceritas ac corporum pulchritudo omnibus nota est: nec minus apud
omnes eorum virtus clara est. Cuius Metropolis est Bisontium.

Sed singulas eius Vrbes descriptas, habes apud Cogna-
tum Nozerenum. Vide & Paradinum: nec
non Robertum Cœnalem.



